

* * *

JAm vero tandem ipsas exhibeo Sententias Sixti juxta Exemplar Beati Rhenani recognitas, cumque Editione Parisina, Lugdunensi, Coloniensi, Galeana collatas, ac nostris observationibus illustratas, adhibitis certo consilio tantum Scriptoribus sacris Θεοπνεύστοις, atque Ecclesiasticis Synchronis, ut nempe tanto magis inde pateat, Philosophum Pontificem Martyremque nostrum, a gentilitate toto divisum cœlo fuisse, ideoque famæ integritati restituendum.

I.
FIDELIS HOMO ELECTUS HOMO EST.

Ex Philosophia Pythagorica demonstrari non potest, nobiliores inter eos πιστὸς & ἐκλεκτὸς dictos esse. V. Schaefferus, qui Libro erudito de Nat. & Constit. Philosophiæ Italicæ, varias Pythagoreorum Denominationes exhibuit Cap. XI. p. 97. Istæ appellationes sunt plane Christianæ, ipsisque Apostolis atque eorum successoribus quam maxime solennes. Qualis vero sit ille πιστὸς, quem Sixtus describit, id Clemens Alexandrinus ejus σύγχρονος fuisse ostendit Strom. II. Sect. 160. ita scribens: Πιστὸς δὲ ὁ ἀπαραβάτως τηρητικὸς τῶν ἐγχειριθέντων ἐγχειρίζοντα δὲ ἡμῖν οἱ περὶ Θεῶ λόγοι σὺν τῇ καταπράξει τῶν παραγγελμάτων. Videtur autem Sixtus hac Sententia uti voluisse adversus Valentinianos, statuentes Electos a natura tales esse, non per fidem illuc evehi Sect. 233. Edit. Potteri p. 645. Παρέλκεσι τοινῦν αἱ ἐντολαὶ αἴτε κατὰ τὴν παλαιὰν αἴτε κατὰ τὴν νέαν Διαθήκην, φύσει σωζομένε ὡς ὁ Οὐαλεντίνος βέλεται τινὸς, καὶ φύσει πιστὸ καὶ ἐκλεκτὸ ὄντος

Electus.

Q

όντος